DE CHRISTI DOMINI ASCENSIONE ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO A...

Nicola Milzetti, Antonio Grecolini, Girolamo Rossi, Valenti Gonzaga

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONT. MAX.

NICOLAUS MILZETTI
FELICITATEM.

QUÆ *res in republica duæ plurimum valent, atque optimum Principem constituunt, ea in te,* Beatissime Pater, *intuemur, atque admiramur; rerum scilicet optime gerendarum scientiam, & virtutem, in-*

nocentiamque morum: quæ quidem si disiunctæ considerentur, licet contemnendæ haud sint, conjunctæ tamen ita habendæ sunt, ut nihil ultra desiderari posse videatur. Ecquis enim est, qui cum ea, quæ scriptis mandasti (mandasti autem plurima) perlegerit, tum sibi facile non persuaserit, esse te maximis, excelsisque viris aut æquandum, aut certe anteferendum? Tanta enim eruditione referta sunt, tantaque doctrina, & eloquentia exornantur, ut vix quemquam tibi parem inveniri posse putem, superiorem autem omnino nullum. Hæc autem cum non mea tantum, sed communis etiam omnium sententia sit, futurum existimo neminem, qui esse a me quidquam minus vere, minusque castigate dictum arbitretur. Quid de vitæ ratione, præclarisque in Christianam Rempublicam meritis, & summis in omnes collatis beneficiis dicam, quibus factum est, ut apud omnes magnam & laudem, & gloriam consequerere? Nimium multa hic enarranda essent haud finem habitura, si locus, & modestia tua pateretur. Sed tacitus præterire non possum,

qua

quæ in Æmiliam Provinciam, in qua ego natus, altus, educatusque sum, tua virtute, liberalitate, atque munificentia commoda permanarunt. Nam cum Urbes, Oppida, Cives, Coloni denique omnes in summas angustias adducti essent, vix ut eis prospici posse videretur; propterea quod omnia fere, quæ ex cultu agrorum congesta erant, non modo ad alias Provincias non deferrentur, sed ne ad cetera quidem ejusdem Provinciæ loca (quod durius erat) nonnisi ingenti sumptu, solutisque gravissimis vectigalibus transvcherentur, quæ res quantum incolis detrimenti afferrent, nemo est, qui non intelligat; effecisti tu quidem auctoritate, providentiaque tua, ut statis anni temporibus liberum Commercium non modo cum Oppidis, locisque vicinis, sed cum aliis etiam Provinciis ditioni tuæ subjectis, esset. Qua quidem re declarasti, nihil tibi majus, antiquiusque fuisse, quam ut saluti subditorum, utilitatique consuleres. Neque vero id solum, sed alia etiam plurima extant argumenta amoris, & beneficientiæ erga Provinciam

tuę, quorum memoria, & recordatio ſemper jucunda erit, queque miſſa facio, ne tua ſumma abutar clementia. Quoniam vero ex publica felicitate privatorum commoda oriuntur, hinc ego, quaſi in me ipſum tot redundarint utilitates, mihi vehementer ſum gratulatus, quod facta mihi coram tanto Pontifice poteſtas dicendi eſſet, ut cum ampliſſimo nomini tuo Orationem hanc meam inſcriberem, gratias etiam tibi, quas poſſem maximas, & agerem, & haberem. Quod dum facio D. O. M. oro, obteſtorque, ut te ſoſpitem, atque incolumem ad Chriſtianę Reipublicę felicitatem, gloriam, atque ornamentum quam diutiſſime ſervet.

ORA-



ORATIO.

SI ullus unquam faustus illuxit, quo nobis lætandum maxime sit, hunc ego esse arbitror diem, quo Christus servator in cælum ad Patrem ascendit, Spiritum Paraclitum missurus, qui Apostolos non confirmaret animis modo, sed etiam incitaret, ut universum Orbem promulgandæ unius veræ religionis causa peragrarent. Hoc enim die perfecta humani generis Redemptio est, hoc die Redemptor ipse officio cumulatissime functus suo, ascendens in altum, captivamque ducens captivitatem (*a*) tantam mortalibus fidem, spem, & caritatem largitus est, ut qui ante erroribus, vitiisque implicati in tenebris, & in umbra mortis sedebant, iidem nunc veritatis luce perfusi, sese crucifixi sectatores, atque discipulos esse profiteantur. Ac mirabile quidem vi-

(*a*) Eph. 4. 8.

deri nemini debet hanc adeo insignem humanæ voluntatis tam repente in Deum conversionem extitisse, cum idem ille mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, antequam migraret in cælum, non dixerit modo: *expedit vobis ut ego vadam* (*a*), sed etiam confirmarit, nunquam se Apostolos, Christianosque cæteros Orphanos relicturum. Ac non reliquit profecto Orphanos eos, quibus semper suo præsidio, auxilioque præsto fuit, quos fide munivit, quos spe confirmavit, quos caritate incendit, quos omni virtutum genere exornavit, quæ omnia ut contigerint, breviter a me describi patiemini.

Illud erat profecto Divini Verbi consilium, ut suo in terram adventu infirmitatem omnem sanaret, & Regnum, quo homines ob primi Parentis crimen excluserat, iisdem compararet, uti deinceps heredes quidem Dei, coheredes autem Christi dicerentur, & essent (*b*). Id ut perficeret nobiscum degens in similitudinem carnis peccati (*c*), non pericula, non minas, non supplicium, non vulnera, non mortem denique recusavit, sed tanquam Ovis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum (*d*), ut humanum genus una sui corporis hostia a servitute, atque interitu vindicaret, ac quemadmodum per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam multi item justi constituerentur (*e*). Quamquam passioni Christi, quod neminem præterit, infinitum pretium inesset, perque eam adserti mortales essent in libertatem, nullum ut esset impedimentum,

(*a*) Joan. 16. 7.
(*b*) Ad Rom. 8. 17.
(*c*) Loc. cit. v. 3.
(*d*) Act. 8. v. 32.
(*e*) Ad Rom. c. 5. v. 19.

tum, quominus ad cæleſtem Patriam perducerentur, aperiendæ tamen ipſius ingreſſu cæli fores fuerunt, præparanduſque hominibus locus, ut perpetuo felices, beatique in gloria ſempiterna eſſent. Ipſe enim caput erat, nos illius membra. Igitur ut capiti membra conjungerentur, ipſe erat elevandus, omnique cumulandus gloria, quam deinceps nobis in Beatorum ſocietatem cooptatis magnificentiſſime impertiret. Quamobrem ſapienter imprimis ab S. Thoma Aquinate (a) animadverſum, litterarumque monumentis mandatum eſt, paſſionem Chriſti, veram fuiſſe ſalutis, Aſcenſioniſque noſtræ cauſam, propterea quod merito Redemptoris ſublatum peccatum ſit; Aſcenſum autem Chriſti fuiſſe quoddam aſcenſus noſtri initium, cum capiti in cælum admiſſo, membra conjungi oporteat. Jure igitur, ac merito Chriſtus ipſe ab Apoſtolis interrogatus, cur tam cito illos præſentiſſimo, gratiſſimoque aſpectu ſuo privaret, & in cælum contenderet; *Vado*, inquit, *parare vobis locum* (b), & paullo poſt, *quo ego vado ſcitis*, *& viam ſcitis*. O admirabilem Chriſti erga nos voluntatem! o incredibilem bonitatem omnium litteris, ac linguis prædicandam! Deus, Deus ipſe atque etiam homo Aſcenſione ſua viam nobis in cælum munire ſtatuit, quo facilius optatiſſimum laborum finem aſſequamur, cum ſedem in illo beato Regno, quod Patris, ſuumque eſt, paraturum ſeſe profiteatur. Maximum quiddam revera eſt, culpam abſtergere, dextram jacentibus ultro, peramanterque præbere, fractos, jacenteſque

(a) 3. p. quæſt. 57. art. 6. ad ſecundum.

(b) Joan. 14. v. 2. 4.

tesque erigere, atque erectos confirmare. Majorem enim caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*a*). Maximum cælestem Regiam antea occlusam reserare, reseratamque ita exhibere, ut suspensos, hærentesque quodammodo intrare compellat (*b*). Quorum alterum principium quoddam, alterum finis œconomiæ Christi, & veluti coronis fuit Redemptionis. Atque hoc cum sit Ascensionis proprium, ac peculiare, adeo ut cum Apostolo recte dicere possimus. *Convivificavit nos, & consedere fecit in cælestibus* (*c*), quis est qui non intelligat, quam esse obstricti Deo, quantumque gaudii, & lætitiæ ob insigne beneficium capere debeamus? Quod si per Christi Ascensionem, quæ felix clausula totius itinerarii Filii Dei a Bernardo (*d*) appellatur, omni ex parte absolutum fuit singulare, ac maximum Redemptionis opus: restat ut quomodo per eandem fidei quoque, spei, & caritati maximum datum fuerit incrementum, videamus. Erat profecto ædificanda in hoc terrarum orbe Ecclesia Dei, atque ita munienda, ut ab improborum armis, ab injuria temporum, ab Inferorum hostium insidiis non modo non expugnari, sed ne labefactari quidem posset. Erant eligendi, secernendique ab aliis, quos Deus sanguine suo redemptos a communi, lugendaque impiorum internecione immunes esse decreverat, ita quidem, ut nostram quoque operam conferremus; iisque tantummodo ea veluti corona justitiæ (*e*) potiri datum esset, qui in hujus vitæ curriculo Christi vestigiis inhæ-

(*a*) Joan. c. 15. v. 13.
(*b*) Luc. cap. 14. v. 13.
(*c*) Ad Eph. 2. v. 5. 6.
(*d*) Serm. 2. de Adscens.
(*e*) Ad Cor. l. c. 3.

inhærentes, omniumque virtutum genere præstantes bonum certamen certassent, cursum consumassent, fidemque servassent (*a*). Supremæ enim justitiæ est accomodata meritis præmia persolvere, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit (*b*). Quod si ita est, o stultas hominum cogitationes! o abstrusa, & recondita divinæ mentis consilia! Nonne poterat Jesus solutis mortis repagulis unicuique in illa majestate, & gloria se videndum præbere, ut nobis etiam quod Joanni (*c*) optatissimum, beatissimumque contigit, dicendum foret, *Vidimus, vidimus gloriam ejus; gloriam quasi unigeniti a Patre*? Nonne poterat vi, & potestate signorum, doctrinæ, ac prædicationis virtute, ipsa denique præsentia ita mortalium corda devincire, ab omni humanarum rerum cupiditate divellere, ad virtutem inflammare, ad se unum ita rapere, atque adducere, ut in ipso perpetuo & forent, & viverent? Atque, ut paucis dicam, nonne poterat momento temporis stabilire Ecclesiam suam, firmamque facere? Sed quid tum? Nonne majori admiratione digna res est, quod remoto virium, armorumque conatu Ecclesia innumeris præliorum fluctibus, ac tempestatibus agitata semper floruerit, & quasi lilium inter spinas pura, & illibata permanserit, & barbaræ, remotioresque nationes, ipsi denique Christiani nominis hostes infensissimi ferrum, flammamque minitantes eidem sponte se, libenterque submiserint, & quam antea cruentis armis, perditisque consiliis oppugnarant, tuerentur deinde, auge-

(*a*) Ad Cor. loc. cit.
(*b*) Ad Cor. c. 5.
(*c*) Joan. c. 1. v. 14.

gerent, amplificarent? En profecto quomodo Christus Jesus suo digressu, & profectione fidei nostræ locum dederit. Quamvis enim neque ipsum, neque ejus gloriam videamus nisi per speculum in enigmate (a), cum tamen fides, quemadmodum dictum a Paulo est, (b) sperandarum sit substantia rerum, argumentum non apparentium, in ipsum credimus, ejusque legi obtemperamus. Nobis igitur ipsi gratulemur, quod tantas nobis attulerit Ascensus Christi in cælum utilitates. Quam enim gloriam, quam felicitatem, quod prœmium inde non consequemur! Ipse Christus nos felices, & fortunatos appellans, *Beati*, ait, *qui non viderunt & crediderunt* (c). *Ubi enim quis credidit*, inquit Ambrosius (d), *ira Dei discedit, vita autem accedit*. Neque solum in ipsum credimus, verum spe etiam erigimur, ut quo pervenit gloria capitis, eo tendat membrorum affectus. Spes enim non nisi bonarum rerum, ut ait Augustinus (e), nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui spem gerere perhibetur. Quamobrem volens Deus, ut omnis nostra cogitatio in eo expetendo versaretur, procul abiit a conspectu hominum, atque humanam, quam sumpserat naturam, in cælum evehens Regnum æternum, non temporaneum spei nostræ fructum fore præmonstravit. Non enim habemus hic manentem Civitatem, sed futuram inquirimus (f); inquirimus autem Jerusalem; quæ sursum est

(a) Ad Cor. 13.
(b) Ad Hæbr. c. 11.
(c) Joannis c. 19. v. 29.
(d) S. Ambr. de pænit. lib. 1. c. 12.
(e) S. Aug. lib. de fide, spe, & caritate c. 8.
(f) Ad Hæbr. 13. 14.

eſt Mater noſtra (*a*). Præclare vero Tertullianus (*b*). *Quemadmodum*, inquit, *nobis arrhabonem ſpiritus reliquit, ita & a nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit ad cælum ſummæ illuc aliquando redigendæ. Securæ eſtote caro, & ſanguis, uſurpaſtis & cælum, & terram, & Regnum Dei in Chriſto*. Jam de amore quid dicam? Fatendum enim vero magis delectare quod præſens eſt, quam quod abeſt. At vero ſi quod amatur procul a nobis ſit, majori in illud deſiderio, & amore inflammamur, & longe majori gaudio perfundimur, cum ea, quæ vehementius optabamus, tandem aliquando conſequimur. Neque alia ſane de cauſa Judæos terra promiſſionis acquiſita tantopere gaviſos eſſe arbitror, niſi quia illam perpetuo, & diutiſſime deſiderarunt. Deſiderium enim cum ſit rerum abſentium concupiſcentia, quemadmodum ab Auguſtino (*c*) definitum eſt, parit amorem, quæque diu deſiderata ſunt, dulcius obtinentur, cum cito data vileſcant (*d*). Itaque Chriſtus hominum mentes ad cæleſtia conſideranda quaſi manu ducens, a nobis diſceſſit, & deſiderium ſui relinquens amorem noſtrum erga ſe experiri voluit, ut cum ad ipſum, quem ſpiramus unum, quo fidimus uno, poſt longinquas peregrinationes, diuturnoſque labores evolabimus, majori nos jucunditate cumulandos eſſe intelligamus. Adimplebimur quippe lætitia cum vultu Dei ſatiabimur (*e*), cum apparuerit gloria Domini (*f*), qui nos de torrente voluptatis potabit (*g*). Quamquam

(*a*) Ad Galat. 4. 26.
(*b*) Tertull. de reſurect. carnis.
(*c*) S. Aug. t. 4. in pſal. 98. ſerm. 8.
(*d*) Idem t. 5. ſerm. 61. c. 5.
(*e*) Pſal. 16. 10.
(*f*) Pſal. 16. 15.
(*g*) Pſal. 35. 9.

quam vero corpoream sui præsentiam subtraxerit, magis tamen, quam si nobiscum perpetuo mansisset, utilitati nostræ consuluisse, credendum est. Quare ipse discipulos alloquens gravissimis verbis illis, jam pene rebus suis diffidentes ad spem, lætitiamque excitabat: *Expedit vobis, ut ego vadam* (a), quasi dicere vellet, teste Augustino (b): *Expedit vobis, ut hæc forma servi auferatur a vobis. Caro quidem factum verbum habito in vobis, sed nolo ut me carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis. Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis, si carni carnaliter hæseritis, capaces spiritus non eritis.* Christus igitur amorem nostrum vere cælestem, & Christiano viro dignum reddidit, effecitque, ut quem nunc absentem cogitamus, eundem ut Deum veneremur, ac diligamus. Etenim licet ipsum forma hominis indutum amplius non intueamur, divinitus tamen nobiscum est sicut ipse promisit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem sæculi* (c). Quin immo ipso sedente ad dexteram Dei Patris (d), & causam nostram singulari misericordia tuente (*Advocatum* enim *habemus ad Patrem, qui etiam interpellat pro nobis*) (e) sperandum est magnam inde in nos manaturam copiam beneficiorum. Quæ cum ita sint, quanto amore eum prosequamur oportet, qui tantam in nos ostendit, ut qui prior nos dilexit (f), caritatem! Quanta alacritate hunc diem colere debemus, quo cælorum portæ referatæ sunt: quo nos ad fidem, spem, & caritatem

(a) Joan. 16. 7.
(b) S. Aug. tract. 94. in Joan.
(c) Math. 28. 20.
(d) Math. 22. 44.
(e) 1. Joan. 2. v. 1.
(f) Ep. 1. Joan. 4. 19.

tem adeo excitati ſumus, ut ſi has omnes virtutes coluerimus, dubitare nequeamus, quin ſuper omnia bona conſtituamur illius, qui hodie aſcendit, atque una cum Patre, Sanctoque Spiritu unus vivit, & regnat Deus in cælorum gloria ſempiterna!



IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constant. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magister Socius Rmi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici Ordinis Prædicatorum.